…cas Ep. Crac.

Sendomiriensis Collegii Soc. Jesu Arrha dotalis gloriae

ARRHA
DOTALIS GLORIÆ,
Quâ
Illustrißimus & Reuerendißimus
PRINCEPS ac DOMINVS,
D. ANDREAS TRZEBICKI,
EPISCOPVS CRACOVIENSIS,
DVX SEVERIÆ.
In primo ac felici suæ Cathedræ aditu,
Amplissimam suæ Metropoleos Diœcesim
Iure Sponsalitij pignoris
DITAVIT ORNAVITQVE,
Cælestium tabulis firmata sancitaque,
A Gratulante
SOCIETATIS IESV COLLEGIO
SENDOMIRIENSI,
Elogio ad Posteros
COMMENDATA.
Anno Instauratæ Salutis, M.DC.L.VIII. 3. Nonas Nou.


CRACOVIÆ,
In Officina Typographica, Ioannis Pauli Cezary, Illustrissimi ac Reuerendissimi Episcopi Cracouień. Typographi.

Prosperæ Nauigationis Auspicium: Vidisse

C Y G N V M.

Ælian: Var: Hist: L. 1. C. 14.

Et SENDOMIRIIS *responsat Montibus Echo,*
Quam Sacra, CYGNEÆ *Vocis Imago, facit.*



Sit Vigil, & Latijs celebretur laudibus, Anser.
Qui Capitolini proditor hostis erat:
Pro Superûm Templis, Vigilantior Ansere, Custos
Fungitur Excubijs TRZEBICIANVS OLOR.

JLLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

PRimum id Tuis in Laudibus beneficii genus, velut præsens certumq; prosperitatis omen capimus, quòd solenni illâ Oratoribus trepidatione, Tua nos Celsitudo absoluat, Suâ, hoc est diuinæ proximâ potestate. Neque enim veremur, ne aut styli humilitate officiamus virtutibus Tuis, humanū semel præteruectis fastigium; aut non ex merito dignitatis Tuæ videamur loqui. Non vtiq; nescij: Illustria virorum acta, neque à scriptoris magnitudine grandiora fieri, neq; à tenuitate Laudatoris capere detrimentum. Illud potiùs elaborandum nobis, ne ita de Te dicamus scribamusq;, vt idem de alio dici scribiq; poßit. Singularis hîc atq; eximius videri vis, vbi de Gloriæ Dotalis *cēsu aut reponendo aut augendo, trāsigendū est. Toto virtutis ac fortunæ apparatu, Sponsæ aucturus æraria, maiorum in Te gentium sacras animi collegisti dotes: Prandotæ pietatem, sanctimoniam Kadlubkonis, Senatoriam Tylicij prudentiam, flexanimam Zadzicij Suadam, acumen Lipscii, Lubienii facundiam, Ossolinii dexteritatem, agendi vim, suadendi pondus; in multiplicem Sponsæ vsum, aut si malit, in nobilem gemmæ sponsalitiæ cælaturam. Fruatur Pontificio tot bonorum prouētu, Sionis æmula & Soror, Tuis munīeda excubiis, virtutum stipanda satellitio. Lætâ securitate, his tutò brachiis inniti poßit, quibus nuper ciuiliū curarū incubuit regni pondus. Porrò altiùs descendere in gentilitias Tuorū origines non vacabat, festinātibus ad ea, in quorum ipse gloriam laboraueris, Tuorum ipse decorum & auctor & actor.* Vix non otiosum est, primos magnorū fluminū recurrere ad fontes. *Hauriant ex turbido obsoletæ antiquitatis, quorum Nobilitas obscuro sæculorum in fundo est. Tuæ virtutis claritudo, meritorum eminentia*

 nentia

nentia, generis prosapia, in summo atq; aperto posita, lucem alieno non accipiet à calamo, sat illustris de sua, Suorumque. At cur adstricto collectoq; scribendi genere, Tua in Elogio arctamus præconia? nimirùm quòd & Tu rebus intentior, quàm verbis, inanem sermonis profluentiam procul arceas. Ciuili eloquentiæ pænè à puero innutritus, parem agendi dicendiq; facultatem in promptu habes, togatæ sapientiæ decora, felici in Te compendio collecta digestaq;. Admitte (quando & serenioris cæli temperiem in Tuæ partem celebritatis aduocasti) comprecantium votis & affectibus circumsesse ô Princeps, non nouâ iam inaugurati Honoris Tui felicitate initiandas, Collegii Sendomiriensis Musas, tot vexatas infortuniis, quot exiliis iactatas, eminùs tamen & cominùs Tuæ assurgentes Celsitudini: paratißimas etiam, agere in distans, *Tuæ Amplitudinis vel ad mentem vel ad nutum. Aquâ & igni ante, interdici nobis feramus, quàm officio debitæ in Pontificem pietatis: quâ agimur ad stimulos obseruantiæ; immò trahimur, instar stipulæ, arcanâ potestatis vi, ad ipsam* ANDREÆ *nominis energiam. Liceat per Te Pontificum facillime, accurrentem è vicino (ad vsum communis lætitiæ,) Spartam nostram, inter amplißimi Honoris Tui vmbras comites censeri conscribiq;.*

Tuæ Illustrissimæ & Reuerendis: Celsitudinis

obseruantissimum

Collegium Sendomiriense
Societatis IESV.

I.
VIRTVTIBVS TRZEBICIANIS,
Data à Summis terrarum Principibus illustria testimonia, ad dotalem Sponsæ gloriam pertinere.

Hactenus, Orbitatis tuæ insignia gestaueris
FILIA PRINCIPIS ô CRACOVIA:
Erepto nuper desolata seu Pastore seu Sponso,
Accessu alteriûs, iacturam reparas vtriusque.
Qualem animo fingebas, formabasque, habes:
VIRVM SVI NOMINIS, TVI OMINIS
Tua Tibi cælitùs attraxêre suspiria:
*ANDREAM TRZEBICKI
Robustam vel ab ipsa nomenclatione Virtutem! *Andreas, virilem Græcè sonat.
Natione Polonam,
Institutione Romanam,
Stirpe Nobilem: Factis præstantem,
Meritis eximiam, eminentem Honoribus,
Regis & Dei Suffragio bis felicem,
FERDINANDI III. Elogio Sublimem,
Apostolicis ALEXANDRI VII. *Literis dilaudatam. *Datis ad finem anni præteriti.
Pluribus auctorati nominibus non eget Virtus,
Quæ à Suprema tot Maiestatum Auctoritate
Diuinâ, Pontificiâ, Imperatoriâ, Regiâ,
*Testimonium oraculo par accepit. *Oportet autem Episcopum & testimonium habere ab ijs qui foris sunt. 1. Tim. 3.
Quantum est ad Gloriæ satietatem,
A tuba Latij atque Imperij præconium retulisse;
Summos capitum apices
TRZEBICIANIS vt annuerent laudibus, inclinasse.
Augusto tantorum in ore Testium
Omne Famæ pretium, fidesque constabit.
Porrò
Dotis auctionem si imperas?
Hereditarijs adnumero è Sponsi Bonis:

B RE:

RELIGIONEM
Suis Maioribus coæuam,
Suis moribus collactaneam,
Vultu & cultu Vaticanæ germanam,
Cælo Cælitibusque vectigalem ex asse.

IVSTITIAM:
Districto Veritatis patrocinio militantem,
Terrore succinctam, non armatam supercilio.
In Causarum Cognitionibus lynceam,
Seu assideat iudicio seu præsideat, vbique mediam partium
Sed largitionibus inaccessam, muneribus intactam;
Ita miseros admittentem, vt felices dimittat:
Metu, Spe, Cupiditate Superiorem
Quia nec alienæ egentem fortunæ, nec tenacem suæ.
In † Areopagi Curia educatam diceres
Nisi quòd excluso lumine, in sententiam non feratur,
ARA SVPPLICI, REO SCOPVLVS.

† Atheniensium iudicia intenebris exercebantur.

FORTITVDINEM
Sui ante quàm aliorum victricem:
Aduersorum tolerantiâ duratam,
Secundorum prosperitate incorruptam,
In turbido Serenam,
In tempestate constantem sibi:
Seueram in loco,
Mitem Ouibus, infestam Mercenarijs, metuendam lupis;
Pollicentem maxima, maiora præstantem
Re & Vocabulo *VIRILEM.*

TEMPERANTIAM
Frugalitatis parentem, abstinentiæ magistram,
Ignotum plerisque aut inuisum bonum,
Familiarem sibi cùm fecisset priuatus,
Eam deinceps nec in aulæ publico (an lubrico) manu misit;
Ratus: *moderari cæteris nec nosse, nec posse eos,*
Qui suo temperare genio nequeant, nesciantue.

Vltro

Vltrò citroque ſuſtinuit
Iiſdem circumſcribi ſe legibus parſimoniæ,
Quam patritia conſimilium Virtutum Nomina
Prandotæ, Kadłubkones, Zoroaldi, * Szczepanouij, * S. Stan. Epiſc. & martyr.
Vitæ Sociam, Viæ Comitem,
Menſæ conuiuam adhibere conſueſſent.

I D E M

Indomabili mortalium malo, linguæ
Frenum liberæ neceſsitatis iniecturus ad menſas,
Salubre, ex ſilentio indicto remedium præſcripſit.
Optimum iudicans Opſonatorem, Diuinorum famem.
Bellaria Attica: Aſiaticis præhabenda:
Nobile palati irritamentum
E ſacræ condimento eruditionis acuendum eſſe.
Frigere epulas, niſi edulio mentium temperentur.
Raræ Hoſpitalitatis repetitum ex antiquo inuentum eſt:
Abſque Latinis & Græcis Patribus non cænare.

P R V D E N T I A M

Virtutum Antiſtitam, aut ſi malis prodromam,
Rebus præſentem, euentorum varietate multiplicem,
Conſiliorum prouentu feracem,
Ad Reipublicæ commoda erectam, vbique circumtulit.
Ætatem & faſtos ſi requiras?
Maturam annis, annalibus eruditam,
Vſu terſam, experientiâ limatiſſimam,
Futuri prouidam, præſentibus inſtantem,
Alienis ex diuturno præcautam infortunijs.

Eandem

Iuris medii Limitaneam cuſtodem & arbitram,
Ilicò promptam accedere & intercedere
Si quo Virtutes, Vitiorum confinio læderentur.

Z E L V M

Diuinorum ſtudio calentem, callentemque ſcientias;
Immunitatis Eccleſiaſticæ vindicijs irremiſsè intentum:
DEI Honorem, Honoribus alentem ſuis, propagantem cultu

Vidit

Vidit Polonia, audiuit Roma, Romæ Arbiter approbauit;
Diuinis Regijsque placitis, vltrò sua adijciens,
Iussam ascendere superiùs Virtutem, oraculo promouit suo,

Gauisus intimè

Ad altiora eum, Sacrorum gubernacula transferri
Qui se vltra Humana omnia altiùs extulisset,
Nec ambitu nec voto dignatus opes
Quæ ditiorem vtcunque, meliorem reddere neminem posśint.
Eas in primis sui iuris facere satagens,
In quas vt fatorum arbitrio, sic hominum iniuriæ liceat nihil,

VIGILANTIAM:

Legum patriæ & Sigilli Custodiâ commendatissimam
A Regis aula, ad Dei caulam transferens,
Mitioribus dominici gregis commutauit Excubijs.

Experrecti vigoris acer & vigil animus

Stationem duntaxat, non curas mutauit insomnes.
Instruat cæcâ antiquitas, centum oculis Argi caput,
Argis & Argonautis Vigilantior Sponsæ Custos,
Eiusdem vel munimentis præsidet, vel prospicit ornamentis.

Exinde iam

Secura suæ indormiat quieti Cracouia,
Hinc à Ducis ferro: hinc Pastoris à telo communita.

AVCTORITATEM:

Non illam leuloris Mineruæ è stipendijs conflatam,
Sed ex genere, doctrinâ, Sanctimoniâ, Triariam!
Illud à Maioribus paratum, hæ laboribus partæ
Virtutibus Infulatum, non scientiâ elatum
Orbi & Vrbi Cracouiæ dedêre Pontificem.
Exeste, imaginariâ sciendi opinione tumentes animæ,
Vulgo & vobis illudite ridiculâ impósturâ,
Copiosè inopes; splendidi idiotæ.

PRINCEPS NOSTER

Ad modestiæ æquabilis tenorem contemperatus,
In alta Sapientiæ possessione, altùm non sapit.
Eò generosiùs contemptu transmittens gloriam,
Quòd spreta in tempore, redire soleat cumulatior.

Singularis

Singularis artificij negotium est:

Fastum calcare posse nullo fastu.

DVX ET PRÆSVL

Vtriusque Potestatis gladio pollens potensque,

Pro Religione alterum, alterum contra Rebellionem stricturus

Ream contumaciæ Hæresim, ante terruit quàm clasicum caneret.

Paueant pestilentes Cathedræ

Suâ iam Cathedrâ confidentem.

MVNIFICENTIAM

Ita profusam in Homines, vt auara non esset in Deum.

Vnum id se habere profitentem, quod effudisset in egentes.

Prodigam nihilominus caue dixeris,

Quia dare beneficia, non proijcere ex vsu habet.

Multis profuit ad gratiæ commendationem

Ex destinato Liberales fuisse.

Exclusa hinc: *Subitæ largitionis comes, pænitentia:*

Vbi Dei æmulam manum, regit consilium, voluntas agit:

Facultatis est; vt dare posis, vt velis, beneuolentiæ.

Dati haud pænitet authorem, cui Dedisse in lucro est.

Hominem excesit, quisquis remunerandi non exspectat Vices.

Preces anteuertere, &, nec poscentibus offerre,

DIVINVM EST, TRZEBICIANVM EST.

II.

Ecclesiasticæ Disciplinæ perstudiosus auctor exactorque.

Vitam Principis perpetuam esse morum censuram.

Veritatis non Plinij Vocem fuisse

Verioribus nostri Antistitis edocemur experimentis.

Dum

Veteris in Clero Disciplinæ perdiligens Exactor

Quidquid monuit docuitue, suis comprobauit Exemplis.

Submouere Aris illos, alios admouere aris impiger

Primo admodùm æternæ Mentis cauit edicto:

Ne quid à suis ageretur, Deo Sacerdote non dignum.

Oculatæ Diuinitatis Pupillam se meminissent

Tantâ Obseruantiæ teneritudine confouendam,

Quantam præsentissimi Numinis censoria mereatur Maiestas.

Arcendos iure Altaribus, qui Mentem integram Altaribus non inferrent.
Benè ſapienterque, *in Sectatoribus* ⋆ *Nazarei* ⋆Nazarenus vocabitur. Matt. 2.
Florem Virtutis potiùs quàm comam nutriri cupiens,
Pectinem & Speculum Cincinnato Othoni Vide Sueto. hîc
Vnguentatos Milites Cæſari remiſit.
Bella Domini ardore gerenda non nitore,
Abſalonium eſſe: *De ſingulis in iudicium capillis venire*: 2. Reg. 14.
Cæſariem, venali pondere ſub haſtam dare
Triſte feralis heu! ſuſpendij inſtrumentum.

Quid multa?

Verſicolorem nec in habitu fucum tolerans,
Indiſcriminatam Sponſæ & Sponſi elegantiam,
Ad Sexûs ac Decori leges fineſque diſcreturus
Sinceris omnia congruiſque virtutum diſparauit notis.
Et (quæ altiores gratulandi cauſæ)
Abſterſo Goticæ Hoſtilitatis faſcino,
Reſtitutâ Sacrorum Libertate,
Repoſitis in gradum Sacerdotijs,
Deplumatis fugatiſuè Dei menſas fædantibus Harpijs,
Suam Delubris Venerationem, Baſilicis Maieſtatem,
Nitorem Aris; Splendorem Sacrarijs,
Odeis Pſalmodiam: Curionibus Vigilantiam
Aut reduxit Veterem, aut induxit nouam.

D E M V M

Literis pretium: Literatis fauorem,
Fidam Ouilibus tutelam: promptum Ouibus patrocinium
Spopondit præſtititque.
Dignus, ex vetere Scriptoris Voto: Plinij Iunioris
Vt ſemper obliget, ſemperque obligetur,
Qui Summos pariter obligauit ac imos.

III.

Cracouiæ de Vniuerſa Philoſophia diſputat, præſente Nuntio Apoſtolico, Honorato ViceComite, in Regali Collegio Cracou: Societatis Ieſu.

⋆ Non cuilibet ſanè contingat venire Corinthum. ⋆Vetus adagiū.
ANDREÆ TRZEBICKI, ſciendi cupiditate ſuccincto

Expe-

Expedita omnis ad Sapientiæ limina peregrinatio.

Scitum est:

Generosis conatibus, Difficultatum obijces, audendi irritamenta esse.

Nulliùs non appetens disciplinæ, nullius non capax
Omnibus in se cùm fecisset locum, Vniuersitas quædam videri poterat,
Vel docentibus, vel discentibus documento:
Magnis ad summa passibus, emicanti animo
Nullam scientiæ arcem inuiam, nullam porticum satis clausam.

Eam ob rem,

Humanioris literaturæ mansuetudinem, seuerioris Mineruæ succo tincturus,
(Quum Apollinem & Musas lautè comiterq; tractâsset)
Ex discipulo, amicus Tullio, cœpit colere Aristotelem;
Cuius Auditorem se tantò libentiùs professus est
Quantò flagrantiore Veri studio caleret:
Ita isti adhærens, vt illum non dimitteret è sinu,
Eo vtrinque beneficij nomine obstrictus
Quòd Orationem ille, hic Orationem excolens,
Vterque Hominem se vel perficeret vel limaret:
Aristoteli debuit, vt sapienter diceret, vt copiosè, Ciceroni;
Cùm tamen Logicorum extra leges ac normas, nec dixisset, nec vixisset.

V B I

Latentes Dialecticæ Scyllas impunè, quia solerter euitans,
(Inter spinosa Logicæ dumeta hæsitantibus alijs)
Floridam amœnioris Naturæ insulam præteruectus
Portum tenuit, celeusma cecinit, secundo per aduersa cursu.

Nempe

Et turbines tempestatesque commendant serenitatem,
Et Prætoriam Petri Nauem attollunt dum bacchantur fluctus.

Dulce & decorum est

Per discrimina ac tumultus, ad regiam Palladis contendisse.
Sub Palmario Peripathetici agminis Duce
Stipendiarius tuendæ Veritatis Miles,
Signa æmulam contra moturus ignorantiam
Belli neruum ab ingenio deprompsit suo,
Ne extraneo annonæ apparatu egeret.

F E L I X
Cui Certanti vincentiq; ſpectator idem gratulatorq;
VRBANI VIII. à Latere Nuntius obueniſſet:
Quo ſeu Prænuntio, ſeu Auſpice
Ad Romanam deinceps proluſurus Theologiam,
Eâ potiundi, certiſſimum accepit omen.

Profectò

Honoraria ad literariæ gloriæ acceſſionem appendix eſt:
Vicariam VRBANI Maieſtatem Poteſtatemque
Suis præſentem & Præſidentem circulis habuiſſe,
Philoſophici triumphi comitem in ViceComite fuiſſe nactum!

Et verò opportunè

Per auguſta SIGISMVNDIANI Athenæi atria
Ad Palatium Reginæ Sapientiæ euaſurus,
Regium Societatis IESV Collegium Cracouienſe præelegit.
Hîc Athenas, hîc Mineruam reperiens
Ne aut Democriti in puteo merſam veritatem rimari,
Aut in Platonis luco latentem quærere, neceſſum haberet.

E R G O

De ſumma Philoſophiæ decretorio acturus Marte,
Hîc publicæ concertationis præliarem dixit diem,
Securus Laureæ, quam ſuis ante ſudoribus alluiſſet.
Iam tum: oppugnatis propugnatiſque vniuersè Aſſertionibus
Quantus deinceps veritatis Aſſertor futurus fuiſſet, palam fecit.
Aſſurgite, Faſces Honorum capeſſenti,
Quotquot olim Philoſophantis ingenio applauſiſtis.

IV.

Exteras Nationes peragrat. Romæ operam Theologiæ, quadriennij ſpatio nauat, ſub magni nominis Doctore, Ioanne de Lugo è Soc. Ieſu, Cardinali S. R. E.

Vellem præſtò eſſent
Paterni Maternique nominis decoctores;
Domi inutiles, foris inglorij, militiæ turbulenti;

In qui-

In quibus primam & mediam Ætatem
Inter abrupta licentiæ amissam, frustra quæras,
Vltimam dedecori suo impositituris manum
Vt depontanam vitiorum senectam in præceps agant.

ANDREAS TRZEBICKI
Inter Optimos educatus ad optima
Adultam Virtutem antequam polliceretur exhibuit.
Primum floridæ Ætatis ver
Apricis Italiæ solibus citò decoctum
Festinatæ probitatis celerato maturauit autumno.
Fuisset alibi prodigio, morum hæc vindemia præcox,
Nisi in felicioris ingenij nobilem plantam
Soli & Solis Latini benignitas incidisset.
Ferax & patiens bonorum omnium Nouale
Romanæ sarculo debebatur culturæ.
Flecti fingiq; facilis animus
Disciplinas aptus ad omnes, propensus ad singulas,
Sublimitatem ingenij, celebritate Vrbis commendauit;
Vbi de suis quoq; benè mereri visus Maioribus
Quòd eorum imaginibus, optimo in lumine collocatis
Nobilem Auorum gloriam geminaret in sua.
Romano GREGORIANÆ Munificentiæ in Collegio
(Homine maior in Diuina consurgens)
Supremæ Scientiarum perstudiosus Cultor,
Par capacitati suæ auditorium
Parem loco & facultati Magistrum sortitus est,
IOANNEM de LVGO Societatis IESV
Pullati tunc Ordinis, nunc Purpurati Senatûs eruditum decus;
IN QVO
Rediuiuum Angelici Doctoris ingenium
Peracutam Augustini subtilitatem,
Reconditum Aristotelis acumen,
ROMA suspexit, recognouit ORBIS.
Multùm interest quibus ad Sapientiam Ducibus vtâres
Felix Platone Aristoteles, Aristotele Alexander.

Ingens Eminentissimi Doctoris gloria
Discipulus ex Emerito Infulatus!
Hoc insuper titulo Praeceptori contiguus,
Quòd Vaticanae ille Curiae, hic Polonae Senator
Finitimi splendoris luce sese accedant, accedantque:
Miratus attamen vterque est, se vsque ad Purpuram profecisse
Suorum erubuit meritorum aspectu.
VRBANI VIII. Imperio alter
Alter IOANNIS CASIMIRI suffragio,
Cardinalitias ille, hic Pastoritias Antistitis euocatus ad curas.
Illustre Scholastici Operis coronamentum: * Alludit ad Illustriss. ac Reuerend. principe Casimirû Czartoryski Episc. Kuiau. sacrâ Doctor. laurea Romae donatû eodem Professore.
Theologicâ à se donatos vel rude vel * Laureâ
Theologico Magisterij numerare in censu.
In Vrbe Orbis compendio
Omnium ingenia collegit in suo,
Tam prosperâ bonarum artium complexione,
Vt ambiguum fecerit
Doctiorne ab Vrbe, an Sanctior redijsset.
Viderint Patriae ac morum extorres:
An hoc demum sit: Saluis integrisq; suis omnibus
Integrum lustrandis gentium ritibus impendisse * Lustrum.

V. * Lustrum 5. annos notat.

Summorum Pontificum honorificis de se iudiciis
& beneficiis exornatur.

ANDREAS TRZEBICKI
Primae felicitatis telam Romano exorsurus à capite,
VRBANO VIII. P. O. M.
Ab excellentia magnae indolis probè cognitus
Eiusdem probari iudicio, beneficio ornari emeruit.
Nimirùm
Bona Progenies latere, nec si velit, potest. * Leu. Dec. 1.
In Petitione sacri muneris
Vel idcircò suis antelatus Competitoribus est
Quòd se illorum nemini praetulisset.

Inde

Inde maximè idoneus gratiæ
Vnde minimè importunus.
Efficaciſſimum ſuadendi inſtrumentum eſt
Tacita perorantis verecundiæ eloquentia.
Palmas metit, cùm manum non moueat,
Vincit citra conflictum: triumphat ante pugnam! Sylla feliciſſimus Romanorũ putatus.
Quotam Syllanæ proſperitatis portionem reris
Sacrum è SVÆ SANCTITATIS manibus cepiſſe Honorarium?
Eſt aliquid: in Vrbe Vrbium iudice,
ORBIS ARBITRO PLACVISSE VRBANO!
Primâ hâc Apoſtolicæ largitionis indulgentiâ
Płocenſis Cathedræ renuntiatus Romæ SCHOLASTICVS,
Conſentaneum Scholaſticæ tunc Auditor Theologiæ præmium tulit.
Initiatæ Felicitatis erat:
In ampliſſimi Sacerdotij primo aditu
Altioris prærogatiuæ luculentum accepiſſe pignus.
VSQVEADEO
Romanâ (hoc eſt optimâ) fide agentibus
Cuncta, ad Bonæ Spei proficiunt euenta!
SVB INNOCENTIO X.
Maioribus Honorum Aris promiſſus, arrham tulit.
ALEXANDRO VII.
In Premislienſis Pontificij Cathedram ★ Suo Olore
Bonâ Fauſtâque Alite auſpicatò illatus eſt.
Diceres: prima hîc illi infulatæ dignitatis celebrata æncænia
Vbi & ſuas pariter dedicauit virtutes.
A Premisliana Cracouienſem tranſlatus ad Sedem,
Minores infulas, maioribus extendit, intenditque curis.
GNARVS apprimè
Sola hæc ambientium decora eſſe ſtudia
Primas laborum Cathedras ante alios occupare:
Nobile eſt in Virtutum regno, de excellentia certamen.
Efferunt plerumq; ſeſe in arduis magnæ mentes.
Vauellanæ Arcis in faſtigio ſpectanda Virtus
Quidni Admiratores iuxta ac imitatores habeat?
Quanquam ea eſt TRZEBICIANÆ Probitatis indoles

Vt vel

Vt vel ſine ſcena & ſpectatore, ſuam non frigidè perſonam agat.
In Sacrario Diuinæ Mentis omnia reponenti ★ Corn. Tacit. L. 2. Annal.
CONSCIENTIA FACTI SATIS EST.

VI.

Romæ nonnullis S. R. E. Cardinalibus percarus, habituſque perhonorificè.

ANDREAS TRZÆBICKI
A Generis & Vrbis claritudine illuſtris,
Romæ, (*hoc eſt in publico orbis Hoſpitio*)
Ignotus latere quia non poterat
In lucem Vaticanæ Purpuræ familiariùs incurrit.
FRANCISCO BARBERINO: GVIDONI BENTIVOLO
S. R. E. CARDINALIBVS carus vnicè cultuſque,
Reciproco vtriuſque amori, venerationem oppoſuit:
Lætus certuſque,
In his duobus, geminum ſuæ laudis cardinem verti.
Natæ factæque ciuiliter
Ad omnem leporis Vrbanitatem Barberinæ Apes,
Morum, in nobili aduena, ſuauitatem odoratæ
Vſu intimæ conſuetudinis, magno Hoſpiti, adhæsêre;
Lectiſſimo Sarmaticæ Nobilitatis in flore
Genuinum Poloni Candoris reguſtantes ſuccum.
Infixo iam tum altioris memoriæ aculeo,
Duraturo olim in acumine literarum & ſenſu
Adeò dedicatè Violentum & acre eſt Amoris ingenium!
Grande ★ *Lätiſlauii Honoris Vadimonium:* ★ Senatorij.
VRBANI Nepotem (fauente iam Patruo) obſtringere & obſtringi.
Quo ſimul tempore
(Ne quis Oratoriæ inſinuationi locus foret)
Apertâ congreſsione, in BENTIVOLI illapſus eſt beneuolentiam,
Non magis in animorum tabulas
Quàm in teſtes altriceſque amicitiæ ſyngraphas
Relatam fideliter, perſanctè cuſtoditam.
Romanis ad exemplum

Polono-

Polonorum animos & calamos, vel inter Septemtrionis algores
Ad officia fouendæ Humanitatis non frigere.

VII.

Illustrium Virorum acta quædam & scripta prælo subiecta, ab obliuionis iniuria vindicat; nonnullis Romæ impressis.

Optimi cuiusq; æmulator laudatorq;
ANDREAS TRZEBICKI
Alienis facundum se in laudibus, elinguem in suis fecit.
Lucris domesticæ gloriæ appositurus
Quidquid Polono foris nomini accessisset.
Hinc: Illustrium suæ Patriæ Virorum scriptis
Lucem publicam, in luce gentium & mentium quæsiuit,
Vitam Operi posthumam, Romano expressurus è prælo.
STANISLAVM LVBIENSKI
Quem eleganter verbis expresserat, expressit & factis.
Vindicati ab obliuione, Antistites PLOCIÆ
Quantum L V B I E N O ob impensam operam,
Tantundem LVBIENIVS TRZEBICII calamo debeat necesse est.
Consultum reor diuinitùs, integerrimi Scriptoris Modestiæ,
Tuo ne careret Elogio Defunctus
Per quem, vt defuncti viuerent Præcessores, stetisset.
Rectè o PRÆSVL
Suo felicem calamo L V B I E N I V M, feliciorem reddisti Tuo;
Inde Stylum vibrare aggressus
Vbi scribere & viuere, Nestor suæ Patriæ desijsset.
Multùm profuit ad famæ immortalitatem,
Pares rebus gestis inuenisse præcones:
Lysippi an Mironis cælo sculparis, refert plurimùm.
Nullâ styli humilitate iacere
Nullâ attolli sublimitate desiderat,
Quisquis Vocalissimi O L O R I S, Tui elatus est pennâ.
Sic vno eodemq; laboris viatico
Hinc Senatoriis Viri Virtutibus & Factis,

Hinc Faſtis Płociæ Cathedralibus Conſultum iuiſti.
Meriturus ipſe gratam poſteritatis memoriam
Qui ſic in alienæ perennitatis gloriam laboraueris.

VIII.

Extraordinarius ad Comitia Imperij Ratisbonenſia Legatus ad Ferdinandum III. Imperatorem Romanorum.

Nec ſpecioſiùs aliud, nec operoſiùs
Principum Oratoribus contingit munus & onus,
Quàm impoſitam ſibi Regis & Regni Perſonam
Scitè vtramque ex vtriuſque dignitate gerere.
Theatrum hoc, niſi ſis Roſcius, ne attingito.
Mouere ſeſe extra Dedecori numeros, hîc non datur.
Humanâ maioris induſtriæ, artem duxerim,
Tractare Maieſtatum cauſas, citra præiudicium Maieſtatis.
Delicata vel priuati Honoris poſſeſſio eſt
Quâ ſe nemo non ægrè depelli ſinit.
A magnis legationibus, pares in vtramque partem exitus exſpectandi.
Oram Regalis paludamenti præſcidit,
Quiſquis infra Principem aut ſolium perorauit.
AT ENIM
Fuerit aliis plena diſcriminis atque aleæ
Omnis pro Maieſtate Peroratio.
ANDREÆ TRZEBICKI
(Hoc eſt palmaris Eloquentiæ Veterano)
Imperiale Comitium, victoriæ ac triumphi eſt campus.
Parum illi Senatorias Principum Imp: aures expléſſe,
Niſi in animos quoque exerceat imperium.
In Sapientiſſimo Electorum conſeſſu
Electè Sapienterque dicere, aut illiûs eſt, aut nulliûs.
Non ita raró Dominantium Curias adijt audijtq; TRZEBICKI
Vt adhuc publicæ Maieſtatis non calleret ſtylum.
Contumeliam aut pudorem purpuræ is non allinit,
Qui ex ore ſui Principis, Suadæ Spiritum & colorem ducit.
Ex rerum perſonarumque pretio loqui & agere ſolenne habet.

Secu-

Securum Te Tuæ auctoritatis IOANNES CASIMIRE:
De qua in Regij tractatione nominis, detritum sit nihil.
Tuâ & Reipublicæ animatus mente,
Eandem ex integro Legatus, in euentu præstabit.
Macte his meritis ANDREA,
Nusquam magnificentius Viri titulos exæquasti!
Magno temporis & fortunarum impendio
Maiore Poloni Nominis compendio
Grauissimæ Legationi pondus adiecisti de Tuo:
Par prosperitatis contentio est,
Magnæ domicilium Gloriæ Ratisbonam
Ijsdem, quibus ante Ossolinius, gloriæ passibus attigisse,
Nec minori magnitudine implêsse.
Exinde sibi suos Italia Tullios, suos Græcia Nestores habeat.
Nidum ciuilis eloquentiæ tot à sæculis TRZEBICII,
GENTILITIO suæ Domûs posuêre in CYGNO:
Rarum id Ratisbonensis Curiæ Augustali contigit:
Diuino in Homine vocem audisse Cygneam!
QVIN
Et suæ, in Imperio fortunæ, nostrum haud pænituit Oratorem,
Qui Imperaturo Cæsaris Filio, cùm dedisset suffragium,
Ibidem & ipse, Ferdinandi ac Principum iudicio:
CONSVMMATISSIMI SENATORIS calculum non ex vano accepit.
Sic dum præuia Ossolinij vestigia foris premit, sua imprimit.
OSSOLINIÆ OLIM
Nunc TRZEBICIÆ dexteritatis cæpit esse:
Extra Patriæ limina positum, intra Patriæ decora stare posse.
Ita suis vbique se finibus coercent castigatæ mentes.
Commonendis Principum Oratoribus:
Perinde ac Bellorum, Legationum rationes momentis constare.

VII.

Sub illustri ac Principali magnorum in Regno Senatorum disciplina, præparamentum ad maiores & publicas Reipub. curas præmittit.

Nulli non sufficiens muneri oneriq;

Magnus à ſe & à genere ANDREAS TRZEBICKI:
Alias ex alijs irrequieti laboris Prouincias
Subire humeris, obire animis, acer alacerq;,
Ingenitam ſibi Nobilitatem, vel in cotem vel in calcar vertit.
Quanquam ⋆ Theopompo hic Noſter ſimilior quàm ⋆ Ephoro
Vltro in optima procurrens, agi ſtimulis non potuit. † Demoſthenis Diſcipuli Freno ille hic calcarib' indigebat
Ab Vrbe reducem, feriari patria cum non ſineret
Tribunalatiæ Poteſtatis deputata excepêre ſubſellia.
Bono Diuini Humaniq; iuris, putatus lectuſq; Iudex
Aſsiſtricem decretoriæ Curuli Æquitatem præſtò habuit.
Admirationem ſui, venerationi immiſcens,
Illam ex proximo acuit, hanc, etiam è longinquo intendit.

Quo deinde

Sacræ Themidis a limine, inoffenſum pedem efferens
Maiorum operum Præliminaria (vt vocant) præmiſſurus
⋆ *Primi Principis Primate in Curia* ⋆ Matthiæ Lubienski.
Curialium Regni Curarum illuſtre rudimentum poſuit:

Cùm Antea

Ad ciuilem Sapientiam permagno ſanè Inſtitutore
Staniſlao LVBIENIO Senatorũ Grauiſſimo vſus fuiſſet;
Ne plus cognati ſanguinis quàm Gloriæ ex illo deriuaret.
Benè habuit Virum Patriæ amantiſſimum:
Formari apud ſe Ciuem patriæ futurum,
Ingens aliquando rebus feſsis momentum!
Sua tunc oraculo fides conſtitit
Quum nobili Alumno, vota Eruditoris præcurrente,
Citò Senatoriæ ad metas Prudentiæ conſtitiſſet.
Expectantium deſideria factis excedens, diuinantium omina rebus implens.
Tunc ſi aliàs, præfeſtino bonæ indolis prouentu,
Spei magnitudinem in herba virentem,
In calamo primùm, mox in culmo exhibuit.
Maioris Cancellariæ Moderator
Iam tum in animo, in iudicijs Magni Oſſolinij
Abſolutiſſimum Senatorem egit, cùm adhuc non ageret.
Eò carior quó ſimilior Oſſolinio,
Suas in eo Virtututes, ex propinquo agnoſcenti,

Ex

Ex aperto amanti, ex abdito altiùs reuerenti.
Et adhuc videlicet: *Omnis Arcani capacissimum*
Ad Secretioris Regiæ adyta non admitteret?
Aut non immitteret in curas Cubiculi intimas,
Ingeniorum geniorumq; scientissimus IOANN: CASIMIRVS?
Signatoriam fidis manibus negaret gemmam?
Quâ TRZEBICIANI Obsequij consignaret fidem.

VIII.

Sub interregnum(ab obitu Vladislai)*omnium quotquot fuêre funestissimum, Cancellarij munus, in comparabili prudentiæ, ac virtutum laude administrat, ad aulam Primatis regni Matthiæ Lubienski.*

Præferant cæteri ambitiosa ad iactantiam
Re, & virtute inania nominum ostentacula:
ANDREAS TRZEBICKI
Vim sui nominis, in ethymo vocabuli agniturus
Quò *Virum* se experiretur fortuna, cum irata luctatus est!
Sub triste ac turbulentum à Vladislai occasu Interregnum,
Naufragrante, (*suo suorumque in sanguine*) Patriâ
Vltimam Bonæ Spei tabulam, in Religionis anchorâ prehensam,
Constanter tenuit inter fluctus!
Lætum rediture malaciæ omen
Vel suo à prænomine, vel à * Signo Tutelari deducens! * S. Andreæ insigne Crux.
Sæuientis palam Fortunæ, summâ positus in lance,
Vires quid ferre possint, Aduersorum explorauit in libra.
Nempe Durioris experimenti Tirocinium præmittere par erat
* Cœlo IAGIELLONIO successurum, Atlantem. * Aula Sigismundi 3. sic appellata.
Acies militem, Tempestas Nauarchum, aduersa Virum probant.
Vniuersale vt est bonum Virtus
Vnus tum omnibus Patriæ votis fatisque suffecit.
Rempublicam: *Ægram remediis confirmare,*
Inclinatam fulcire consilio: ruentem sistere calamo,
Scribendarum agendarumue rerum ordine animare,
Supra Hominem, non supra virtutem Andreæ est!

Charitatis erat: *Patriæ Sortem in suæ consortium admittere*,
Constantiæ: *occurrentibus occurrere & succurrere infortuniis*,
Fortitudinis: *Clauum in turbido tenere fulminante cælo*,
Inexhaustæ Capacitatis: *Difficillimis Legationibus ex facili respondere*,
Immensam negotiorum molem suis circumagere momentis
ANDREÆ VIRTVTIS ERAT.
Fama ad posteros iturâ;
Ne & Nomine ANDREAM TRZEBICKI
IN PRINCIPE AVLA PRIMATIS
Fidei & Curarum tenuisse primas.

IX.

Pro-Cancellarius Regni, difficillimis bellorum temporibus, impensâ gloriosè, ac vtiliter operâ, quinq; annorum spatio Sigillum tractat.

Malarum Artium incapax ANDREAS TRZEBICKI,
Simulandi quidlibet ac dissimulandi Tiberianas artes,
Ipso vitæ integerrimæ refutauit Candore.
Versicoloribus aulæ corniculis quid cum Cygno?
Non eget transmarino coloris fuco
Natiua TRZEBICIÆ VIRTVTIS tinctura.
Cerea in bonum Facilitas
Cùm omnes Honesti formas celerrimè acciperet,
Nullam adeo non ætatem suis distinxit ceris.
Bullam: *Puerili Innocentiâ;*
Prætextam: *Contextu virtutum operumq;:*
Togam virilem: *Curis accinctam*: *Succinctam Eloquentiâ*,
Ingenio collectam: euolutam Consilio,
Largè Pauperum explicatam in sinus,
Regum obsequijs Ciuium officijs, Patriæ vsibus, idoneam
Senatoriâ commutauit Togâ.
Ex comitio Maiorum mentium: *Primis Reipub: Honoribus vel eò dignus*
Quòd Accisæ remedium Fortunæ Regni, solerter inuenisset.
Sacrociuilis curiæ Theatris omnibus
Quinquennio explorata laudataq; virtus,

Iusta

Iusta per omnem modum, Laboris Olympia decurrit;
Gloriosâ domi & foris operâ
Aras inter & focos partitò dispensatâ;
Senatoris alibi, alibi Pastoris numeros explêsse
Totis procerum subselliis, totâ Curiæ auctoritate sancitum est;
Eò integriore ad fidem Posteritatis testimonio,
Quòd Libertatis illam non necessitatis vocem, ratio expressisset.
In causarum disceptationibus
Facilem omnibus acclinans aurem
Aurum nulliùs appetijt, cùm omnium animos possideret.
Purpurato quàm simillimus inde *BORROMEO*
Vnde neminem gemere permisisset.
Calliditatem Politicæ, morum sinceritate oppugnans,
Sanctioris Ethicæ & auctor esse meruit, & idea.
Mores excolere promptior, quàm de moribus disputare,
Vrbium status, legibus & mœnibus, non verborum ambitu constare.
Diuinæ ambitiosus Gloriæ competitor,
DEO-HOMINI apud homines pretium conciliaturus,
Nihil non ex eius æstimatione egit vnquam, aut dixit.
Eam Potestatis personam sumere ponereq; promptus
Quam sibi scena temporum, aut mores populi indidissent.
Sæueritatis ac Mansuetudinis medius,
Vitijs non Hominibus irasci persuasum habet.
Insigne moderationis argumentum est,
In summa Facultate, sibi quàm minimùm licere velle,
In ipso Honoris ascensu descendere in seipsum,
Intra sui se muneris Cancellos tenere.
State hîc animis & calamis magna Scriptorum ingenia.
Nec diuinius est Maiorum gentium Oraculis tota laudum exhausta est materies.
Nec diuiniùs extra cælum, nec sanctius extra Romam,
Nec augustius extra Imperium,
Nec sublimius extra Regiam Principis,
Nostro vestroq; Præsuli, encomia quæri fas,
Totum illi è Romanæ Stylo Curiæ, laudis pretium.
Vnus TRZEBICIO instar omnium arbiter, laudatorque
Maior Maximis, Optimis melior
ROMANVS ALEXANDER.

Alex: VII zelum eius virtutesq;, Ecclesiasticas suis ad eũ literis cõmendauit.

Debitam suis virtutibus meritisque adit Cathedram, frequenti bene precantium stipatus comitatu & votis.

OHE TV ETIAM

Triumphantis Ecclesiæ germana Bellatrix:

Euolutam Bono Diœceseos Tuæ Diem

Atratæ calamitatis ne inuolue aulæis.

Exspirantibus vtcunq; infortuniis respirandum paulisper.

Mortualis pyræ feralia suggesta

In publica lætitiæ theatra compone.

Arcus tamen molesque magnificas ne attollito:

Altiores Pyramidum fastigiis Obeliscos

Sibi posuit, sui suorumq; victor ANDREAS.

Famæ perennitatem non columnis aut imaginibus

Sed meritis sed virtutibus propagari gaudet.

Securus de rerum à se gestarum memoriâ

Cui fidelem olim adiecit custodiam, Bonas artes.

Tandem excusso Sueticæ seruitutis iugo

Ad iugalia iterum te accinge Sacra.

His te Dotibus ditatam dotatamque circumspice:

Ad summam felicitatis Tuæ restat: *Noris vt te felicem:*

Sub antiquæ virtutis Cultore

Fæcunda Sacræ frugis tempora opperire:

Bona spei portio est: præiacta tot bonorum semina.

⋆ Arctum deinceps, sortis ferreæ Annulum haud indueris

SPONSORE ÆTERNITATIS ANNVLO

CATHEDRALEM SVBARRHATA AD ARAM.

Primo hoc DOTALIS GLORIÆ censu fruere

ET DISCE:

NON SPONSAS TANTVM CÆLO DESCENDERE

SED ET SPONSOS.

Cracouiensem Diœcesim alloquitur.

Adag.